



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv**

**Techo, Nicolas**

**Leodii, MDCLXXIII.**

Cap. 8. CaaroëNSE oppidum restauratur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

audiendos esse; non illos ariolos, qui pravis religionibus captas mentes, veluti furialibus stimulis, ad omne scelus agerent. Perseveraret forsitan malum, si Niezuvius præteriti mali fons adesset, quo absente satis apparet, vos fraude deceptos non malitia conjurasse. Animos itaque & corpora erigite, armatis resumite, & in sinum amplexumq; meum omnes ruite. Has veluti parentis voces cum audirent, manate plenisque gaudio lacrymæ, adeò ut confunderent etiam interpretem. Altero mane Provincialis incruento Sacrificio placare Superos co ipso loco studuit, quo Gonsalvius Rodericusque superiori anno cruentè litaverant. Sacrificio peracto, triginta & quinque pueros sacro Fonte expiatos Christianorum albo, Nienguirio Ibitiraquanorum duce sponsorie, inscripsit. Et Niezuvianæ cladis captivos, quos secum adduxerat, manu mittens, popularibus restituit. Casiquis vestes acu pietas, aliis alia munuscula distribuit, constitutoque in omnium ducem Regis Catholici nomine Guarobaio, sponsans Gonsalvii successorem quantociùs ventrum, per Caasapaminenses & Piratinientes, ubi multos adultos baptizavit, iter reflectens ad Urvaicam pervenit.

**N**ON diu post Josephus Oregius, Oregii Cardinalis frater, vir antiquæ virtutis, ad Caaroëns regendos instruendosque, Provincialis iusfu, magnis itineribus è Paraquaræ metropoli venit; qui alacriorianimo purpuratis Sociis succellet, quāt; ejus frater ab Urbano Octavo, cui Oregiorum familia cara erat, ad Cardinalatus apicem evectus fuerit. Inter hujus anni præcipuos proventus computatur, sexcentas Caaroënsium familias congregatas, necnon quadringentos & tres adultos, infantes verò centum & septuaginta-novem baptizatos fuiss. Porro, ut semel & simul videoas utilitatem denarrata restaurationis, constat ex authenticis libris, Societatem supra novem mille capita sacro Fonte immergit in Caaroënsi oppido; quod tribus Japoniæ Martyribus nostris ea cautione adhibita sacramatum est, ut si aliquando ab Pontifice Maximo Sanctorum albo Gonsalvium & Socium adscribi contingenter, in illorum vicem tutelamque loci succederent. Nec ea spes in vano est; nam, Didaco Boroa motore, Paraquariensem sacrorum præfecti ad Urbanum Octavum Pontificem Maximum amplissimis litteris postularunt, ut sibi rite in mortem & vitam Heroum nostrorum inquirere liceret, quod deinde publicus honos, si mereri decrevisset, assereretur: & ut idem Philippus Quartus Rex Catholicus per Legatum apud eundem Pontificem exigeret, alteris litteris efflagitatum est. Quod ea res valitura putaretur ad Martyrum imitatores animandos, ad Neophytes in fide confirmandos, ad Barbaros alliciendos, ad Americae præsidium, ad Hispanorum famam, & Majorem Dei glotiam.

**P**OST restauratos Caaroënses Tuca, potens Casiquius, novam rei benè gerendæ materiam dedit. Is, quā Tabatius fluvius sc̄e in Urvaicam, septimo ab Ibitiraquanorum coloniā lapide, Orientem versūs exonerat, autoritate pollebat. Et aliquando ejus clientes ab Rocho Gonsalvio Sacerdotes de Societate, ad oppidum fundandum, coram perierant. De qua re iterum rogatus Didacus Boroa, cō properans, tuguriolo, quod sibi domus & templum foret, exstructo, multitudini undique confluenti nostra mysteria explicarat, oppidi futuri sedem elegerat, dormitorum areas divisera, spem denique perpetuandæ rei fecerat. Quod dum urgeret, Barbari è vicinis montibus erumpentes, toto nudi corpore, & ad ostentationem ferociæ depicti, advolant, nescio quid minaciter deblaterantes. Periculo res plena fuit: nam inter hos Barbaros Joannis Castillii necis complices frequentes aderant, & Tuca aberat. Didacus tamen Boroa, his terriculamentis dudum afflatus, ferocientes munusculis donatos, unde venerant, dimiserat. Et quamvis effera tygris tuguriolum ejus ingressa, servulum tantum, non eo præsente, lethaliter vulnerasset, & alia pericula non decesserunt: tamen tantam multitudinem collegerat, quanta ad oppidum inchoandum sufficere videretur. Cui rei peragendæ magnum momentum attulerat Mariana, Quaraciputii Ibitiraquanorum Casiquii conjux, Christianis nuper initiata mysteriis, quæ sexum oblitera, verbi Dei præco effecta, per proximos saltus fylvasque cum conjugé cursitans, dicendi vi efficerat, ut plurimæ

*In gratiam recipit.*

**CAPUT**  
VIII.  
**Caaroëns**  
oppidum  
restitutur.

*Ei Josephus  
Oregius pra-  
ficitur.*

*Baptizato-  
rum nume-  
rus.*

*Rocki Gon-  
salvii/slam-  
ni, horae  
follicitantur.*

**CAPUT**  
IX.  
**Divi Fran-  
cisci Xave-  
rii oppidi  
ad Urvaicā  
fundatio-**

*Tabatius  
fluvius.*

*Didaci Bo-  
roa pericu-  
lum.*

*Mariana  
Neophyta  
predicatio.*

mulieres